THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY
OF
DUKE UNIVERSITY

Rare Books

I. N. D. N. I. C.

DISPUTATIO THEOLOGICA.

De

PECCATIS ELECTORUM, IN JUDICIO EXTREMO NON PVBLICANDIS.

Quam

DEO FAVENTE,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI atq; EXCELLENTISSIMI

DN. BALTHASARIS BEBELII,

SS. Theolog. Doct. ejusdemque Professoris Publ.

DN. PATRONI, FAUTORIS ET PRÆCEPTORIS SUI, SUMMA OBSERVANTIA ÆTATEM VENERANDI.

Publice defendet

JOHANNES MELCHIOR Schöpperlen/

Nordlinganus.

Ad diem ff. Februarii M. DC. LXXVI. h. lq. consuet.

ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS WELPERI.

16

LIBERÆ REIPUBL. NEROLINGENSIS

PATRIÆ PATRIBUS

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS ATQUE PRUDENTISSIMIS,

DOMINIS

CONSULIBUS ET SENATORIBUS,

Quique

VEL A CONSILIIS VEL A SECRETIS SUNT,

Nec non

ADMODUM REVERENDO, REVERENDIS, CLARISSIMIS ATQUE DOCTISSIMIS

DN. SUPERINTENDENTI,

Cæterisque

Dnn. MINISTERII ECCLESIASTICI COLLEGIS VIGILANTISSIMIS,

ut &

Dnn. PRÆCEPTORIBUS SCHOLÆ PATRIÆ FIDELISSIMIS,

Dnn. MECOENATIBUS, PATRONIS, PROMOTORIBUS AC FAUTORIBUS OMNI HONORIS ET OBSERVANTIÆ CULTU PROSEQUENDIS,

Hoc ſpecimen Academicum cum voto omnigenæ Proſperitatis in ſui ſuorumq; Studiorum commendationem demiſſè inſcribit & offert

Joh. Melchior Schöpperlinus.

Quod DEUS bene vertat!

De
Peccatis electorum in judicio extremo non publicandis.

§. 1.

QUæstio est: *Utrum peccata piorum, aequè ac impiorum, in judicio extremo sint publicanda?* vel, ut pressius eam format Hodosophia Dannhavveriana: *An etiam peccata Electorum tunc revelanda sint?* Phænom. VIII. p. 814. Elegit hanc quæstionem eximius Dn. Respondens noster pro materia disputationis Theologicæ; rogavitq; nos, ut eam sibi elaboraremus, & publicè ventilandam proponeremus; quibus honestis ipsius desideriis eo promptius gratificari voluimus, quo præstantius est thema, quod ille, specimen studii sui Theologici editurus, sua sponte delegit. Novissima enim meditari unumquemque decet, qui in novissimo judicio judicem propitium desiderat habere! Deus instituto nostro clementer adspiret!

§. 2. Opus autem est *distinctionibus*, ut illis præmissis status controversiæ eo clarius eluceat. *Distinguimus* autē 1. inter *fideles* & *infideles*; Quæstio enim nunc non est de infidelibus, quippe quorum peccata in judicio extremo publicatum iri, utrinque in confesso est, saltem inter nos, & eos, cum quibus nobis nunc res erit. Licet igitur fuisse dicantur inter veteres quosdam, Lactantium lib. VII. instit. cap. 20. Hieronymum

comm. in Mich. cap. IV. Augustinum serm. XXXVIII. Gregorium M. lib. XXVI. moral. cap. 20. Isidor. Hispal. de sum. bon. lib. I. c. 27. qui statuerint, neque Hæreticos, neque Paganos, neque Judæos in judicium extremum adductum iri, juxta dictum Joh. III. 28. cum his tamen lis nobis nunc non erit.

§. 3. (2.) Inter fideles *constantes & inconstantes*, seu inter electos & προσκαίρους. De peccatis horum quæstio non est: Largimur enim, horum, utpote deficientium, peccata in judicio divino publicatum iri; & ita quidem, ut eorum gratia sint condemnandi. Ezech. III. 20, XVIII. 26. Quo sensu accipimus verba Lactantii postrema: *Iudicabuntur, qui Deum sciverunt, & facinora eorum, i. e. mala opera cum bonis collata ponderabuntur: ut, si plura & gravia fuerint bona, justaque, dentur ad vitam: si autem mala superaverint, condemnentur ad pœnam.* Superant mala, cum sub finem vitæ suæ fine vera fide hinc discedunt, atque ita fine suæ fidei, vita æterna 1. Pet. I. 9. destituuntur 1. Tim. I. 19. quales sunt πρόκαιροι. Matth. XIII. 9. 21. Quæstio igitur nobis est de peccatis electorum, qui ad finem usque vitæ suæ in vera fide perseverarunt. Matth. X. 22.

§. 4. (3.) Inter *opera bona*, seu virtutes; & *mala*, seu peccata; Non quæritur de illis; sed de his; Et porro inter *peccata remissa & non remissa.* Non est quæstio de peccatis nondum remissis, nec unquam remittendis, ut erunt peccata reproborum in die extremo; Cum enim horum peccatorum gratia pœnas illi daturi sint æternas, opus erit, ea etiam publicari, ut & ipsi, & alii intelligant, juste eos condemnari: uti patet ex processu judicii, descripto Math. XXV. 42. seqq: sed quæstio est de peccatis in regno gratiæ pridem remissis, & iis quidem, qui credentes usque ad mortem fuerunt, ut erat v. g. Davidis adulterium & homicidium. 2. Sam. XII. 13.

§. 5. (4.) Inter *judicium intermedium & ultimum.* Intermedium est, quod homo in regno gratiæ adhuc constitutus interdum subit, sive coram Ecclesiæ ministro suo confessore, à quo vita confitentis, & pœnitentis examinatur, peccata repræsentantur, pœnæ exacuuntur, quale quid factum est inter Davidem regem pridem adulterum & homicidam, & Nathanem prophetam, & Dei ministrum. 2. Sam. XII. 7. seqq: sive immediatè

diatè coram DEO, quando in seria contritione constitutus homo agnoscit peccata, & meditatur iram divinam, & pœnas peccatis suis debitas; quali in statu erat Augustinus, & alii, cum libros confessionum adornaret; De tali hominis statu h. l. quæstio nobis non est, adeoque nec de judicio tali; Fatemur enim in hoc rerum statu etiam fidelium peccata in judicium adduci, accusari, argui; & confundi, vel potius homines, propter peccata; sed quæstio nobis est de judicio extremo, quod finito regno gratiæ habendum est.

§. 6. (5.) Inter *Iudicium in genere, & distinctos ejus iudicii actus.* Non est quæstio de judicio in genere, an electi in illud adducendi sint? Largimur enim & hoc, quod nempe etiam Electi judicio sistendi sint, quandoquidem omnes omnino homines coram tribunali Christi judicis comparituri sint; Eccles. III, 16. Math. XXV. 31. 32. Rom. XIV. 10. Sed quæstio est de distinctis, & nonnullis quidem, judicii istius actibus, an electi eos sint subituri?

§. 7. (6.) Inter actus judicii. Hodosophia nostra distinguit *inter judicium computatorium, rationis redditorium, absolutorium, præmiatorium; & ignominiose condemnatorium.* Brevius nonnulli distinguunt inter judicium *discussionis & condemnationis*, vide Dn. D. Gerh. Loc. de jndic. extr. §. 6. Non est quæstio de judicio qua computatorium, rationis redditorium, absolutorium, & præmiatorium est; Tales enim actus circa Electos fore & nos statuimus; sed de judicio qua ignominiose condemnatorio; Et actibus condemnationi connexis. Actus condemnationi connexos eos voco, qui illam antecedunt, ut sunt peccatorum admissorum mentio, examinatio, discussio, publicatio, confusio; Non tantum est quæstio; imo non tam est quæstio (si omnino ulla est) de actu condemnationis (quam dissentientes, cum quibus nunc nobis res est, ipsi non videntur statuere,) quam mentionis, examinationis, discussionis, & publicationis, imo etiam confusionis.

§. 8. Ex dictis formandus est *status controversiæ* hic: *An futurum sit, ut fidelium electorum peccata in regno gratiæ ipsis remissa in judicio extremo in memoriam revocentur, examinentur, publicentur, confundantur?* Negant communiter Nostrates,

commentantes ad Joh. III. 18. V. 24. 29. Et in Loco de judicio extremo; vide Gerh. §. 46. D. Dannh. hodoſ. l. c. Et quos citat Dn. D. Dorſch. in Bibl. num. p.m. ad loc. cit. Johannis.

§. 9. *Negativæ* fundamentum præbeat ſcriptura ſacra, utpote in materia, quæ ex mera pendet revelatione. Non eſt autem animus omnia ea ſcripturæ dicta excutere, quæ huc faciunt; neque etiam opus eſt; ſed ea modo, quæ jam citavimus, ex ore Jeſu Chriſti, ipſius quondam judicis ſupremi, profecta, & à Johanne (θαυμασῷ τῶν χριςῦ λόγων διδασκάλῳ, *admirando Chriſti verborum doctore*, elogio Euſebii lib. II. adv. Marcell. c. 24.) annotata. Prius exſtat Johan. c. III. 18. & hoc eſt: ὁπιςεύων εἰς αὐτὸν (ὑὸν θεῦ) ὐ κρίνεται; ὁ δὲ μὴ πιςεύων, ἤδη κέκριται, ὅτι μὴ πεπίςδκεν εἰς τὸ ὄνομα τῦ μονογενῦς ὑῦ τῦ θεῦ: i. e. *Credens in ipſum* (filium DEI) *non judicatur*; *qui vero non credit, jam judicatus eſt, quia non credidit in nomen unigeniti filii DEI.* Poſterius occurrit Joh. V. 24. Ἀμὴν Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι τὸν λόγον μῦ ἀκύων, κ) πιςεύων τῷ πέμψαντί με, ἔχει ζωὴν αἰώνιον, κ) εἰς κρίσιν ὐκ ἔρχεται, ἀλλὰ μεταβέβηκεν ἐκ τῦ θανάτυ εἰς τὴν ζωήν. i. e. *Amen Amen dico vobis, quod ſermonem meum audiens, & credens mittenti me* (ei qui miſit me) *habeat vitam æternam, & in judicium non veniat, ſed tranſierit ex morte in vitam.* Verſiones alias nunc omittimus, ſtudio brevitatis, qua circumſcripti ſumus.

§. 10. In allegatis dictis duo continentur I. Propoſitæ quæſtionis negatio: II. Negationis ratio.

§. 11. I. *Propoſitæ quæſtionis negatio*, nempe: *Qui credit in Filium DEI non judicatur.* Subjectum eſt credens, ſic dictus à fide, quæ credentem conſtituit, & verâ quidem & ſalvifica, quæ conſtat notitia, aſſenſu, atque fiducia filiali. Probatur id ex prædicatis. *Non judicatur: non venit in judicium; habet vitam æternam, à morte tranſivit in vitam:* Non enim judicatur ſeu condemnatur ille, qui juſtitiam Chriſti apprehendit, cujus intuitu peccata condonantur, & mortem Chriſti, quam cum ipſe exantlavit, nos liberos præſtitit: In vitam æternam tranſit ille, qui mortem Chriſti per fidem fecit ſuam. *Confirmatur* ex principio fidei, verbo DEI, quod inſinuatur Joh. V. 24. collato cum Rom. X. 14. 17. Eſt illud Evangelii verbum; id quod Chriſtus innuit, quando vocat *ſuum* verbum; Nam Chriſti, ut mediato-

diatoris & salvatoris verbum, est verbum Evangelii. Esai. LXI. 1. Luc. IV. 18. & 19. Ex illo Evangelii verbo nascitur vera & salvifica fides, eo quod revelet fidei suum objectum, principium, & fundamentum, nempe gratiam DEI, & meritum Christi; Et efficacissimè (sicut in prædicatione, vel lectione, ita in sacramento baptismi Joh. III. 5.) operetur fidem, & per fidem regenerationem. Confirmatur & ex objecto, quod est pater Domini nostri Jesu Christi: Joh. V. 24. Et ipse Jesus Christus. Joh III. 18. Ex singulis actibus, qui sunt: *notitia.* ex vers. 10. ibi enim habetur ejus oppositum, quod est *nescire*, primus gradus in incredulitate Nicodemi; & vers. 11. vox ipsa: *scimus*, quæ quidem θεοπρεπῶς est accipienda, utpote de scientia divina perfectissima; respectum tamen habet ad notitiam fidei: q. d. Christus: Tu, tuique similes increduli pharisei, nescitis mysterium hoc; Nos vero, pater, ego, & Spiritus S. novimus illud probe. *Assensus* colligitur ex oppositio vers. 11. dum Christus conqueritur, suum testimonium non recipi, scil. assensu fidei, ut quidem deberet: Explicat mox vers. 12. quid per τὸ non recipere intelligat, nempe *non credere*: Cujus oppositum est vers. 15. *Credere*, seu testimonium ejus recipere. Confirmatur ex Joh. V. 24. ubi habetur phrasis: πιστεύειν πέμψαντι *Credere mittenti*, quod vulgo de assensu accipitur, qui præbetur dictis alicujus, vel factis. *Fiducia* denique colligitur ex Joh. III. 15. ubi salvandus dicitur, πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτόν. *Omnis credens in ipsum.* Credere *in* aliquem ordinarie denotat fiduciam, quæ in aliquo collocatur. Dico: *ordinarie*; Nam interdum solum assensum denotat; Quod vero h. l. non assensum solum, sed etiam fiduciam significet, inde palam est, quod fides intueatur Christum sicut in cruce pendet, & mediū est fistendæ mortis, & damnationis, & recuperandæ salutis: præfigurata intuitu illo, quo Israelitæ ferebantur in æreum serpentem, medium vitæ servandæ divinitus ordinatum.

§. 12. *Objectum fidei*, est Jesus Christus, in sua persona, suoque officio, confideratus. 1. *Jesus Christus.* Nam dicit: εἰς αὐτόν *In ipsum* Joh. III. 18. quem vers. 17. & 18. vocaverat DEI filium. & vers. 14. filium hominis: solius Christi fit mentio, non tamen excluso *patre.* Nam & hujus fit mentio, Joh. V. 24. quando mentio fit ejus, qui filium *misit*, is vero est pater. Sicut enim pater

est

est principium originationis, ita etiam est principium missionis filii. Uterque est objectum fidei; & pater quidem, ut principium est nostræ salutis. Pater enim est, qui nos homines *dilexit*, & adeo quidem dilexit, jam ab æterno, ut vel filium suum destinarit ab æterno, & in tempore miserit, tradideritque pro nobis crucifigendum. Joh III. 16. id quod fiduciam insignem in nobis generat, & fovet. Rom. VIII. 32. Est autem & *Filius* objectum. singulari quodam modo, quatenus nimirum mediator est ipse θεάνθρωπος inter Deum offensum, & homines offendentes. Hoc enim est, quod fides vel maxime apprehendit, justitiam nimirum Christi, qua legem implevit, & mortem, quam subiit, pro nobis, ut & à coactione, & à maledictione legis immunes præstaremur. Quo respectu Christus formale, proprium, & proximum fidei objectum, & fundamentum est.

§. 13. Objectum autem fidei ille est (2.) *quoad suam personam.* Persona sua est θεάνθρωπος: id quod clare ex textu deducitur. Joh. III. 13. utraque natura, divina, & humana indigitatur. Et *divina* quidem, descensu de cœlo. Descendit Christus de cœlo in sua incarnatione; Descendens erat λόγος; Nam λόγος σὰρξ ἐγένετο, *verbum caro factum est.* Illud ipsum verbum, quod in principio erat, & apud Deum erat, & ipse Deus erat. Vocatur alio nomine, & est, *Filius Dei unigenitus* vers. 16. si Filius est, E. ejusdem substantiæ cujus pater; si DEI filius, E. Deus est. Sicut pater DEUS est; si unigenitus filius est. E. naturalis DEI filius est: Nam secundum gratiam genitos, & adoptivos filios Deus non unum solum, sed plures habet. Pater & Filius sicut unus sunt Deus, ita ejusdem sunt operationis ad extra, potentiæ, gloriæ & majestatis. Joh. V. 17. seqq: *Humana* etiam *natura* innuitur in *Filio hominis.* Joh. III. 13. Hominis enim filius est secundum naturam, quam ex homine, Maria, assumpsit; ea vero est humana: Particeps enim ex ea factus est *carnis & sanguinis.* Ebr. II. 14. quæ natura est filiorum omnium hominis. Utramque naturam hanc amplectitur fides; Et *divinam* quidem: Filius enim honorandus est, perinde ut Pater ipse. Joh. V. 23. utpote ejusdem, cujus pater, naturæ, & majestatis. *Humanam* vero, utpote secundum quam pependit in cruce tanquam serpens, in quem, qui intuerentur, æternam vitam consequerentur.

§. 14.

§. 14. *Officium* Christi est objectum, quo fides præcipue fruitur: utpote ratio formalis, quæ fidem actuat, animat, fovet, & perficit. Pertinet illud ad *nomen* Christi Joh. III. 18. Quippe quo non solum naturæ intelliguntur, sed etiam ἐνεργήματα & ἀποτελέσματα naturarum: Ea quæ Christus præstat in officio suo *propherico*, quando Dei voluntatem & arcana hominibus revelat. Joh. III. 2. salutatur tanquam doctor ex Deo progressus, quod quidem verum est, sed non ex asse; Nam & Prophetæ erant doctores ex DEO profecti, qui tamen non erant tales Doctores, qualis DEI Filius. Is enim in sinu Patris est, & exinde nobis enarravit, quæ nemo unquam hominũ cogitaverat, vel noverat. Joh. I. 18. Unde altius ascendit Christus Joh. III. 11. dicens: *Loquimur, quæ scimus; & testamur, quæ vidimus*: nempe in ipso adyto, & secreto sanctissimæ Trinitatis, in quo trium personarum una est sapientia, & scientia, diversus licet habendi motus; Pater enim à nullo habet; Filius autem & Spiritus sanctus à Patre habent; ille quidem per æternam generationem; Hic vero per processionem ab utroque, Patre nimirum, & Filio.

§. 15. In *officio* suo *sacerdotali* constitutus erat Christus, quando pependit in cruce. Joh. III. 14. Nam in cruce sese obtulit DEO suo Patri, sicut sacerdos offert victimam. Hebr. VII. 27. 1. Pet. II. 24. Obtulit autem sese pro hominibus, ab infernali serpente lethaliter vulneratis, imo interemptis; cujus figuram gesserant Israëlitæ à serpentibus in deserto læsi. Joh. III. 14. 15. Finis igitur istius est, salvare, quod perierat. Id quod Christus præstitit, dum sese ipse obtulit pro nobis, & sustinuit, quæ nos sustinere debebamus, nempe acerbissimam passionem & mortem. Hac morte placavit iram sui patris adversus nos, ut in gratiam suam nos reciperet, & æterna vita dignaretur. Atque hoc est, quod maxime apprehendit fides, & in suum quasi succum & sanguinem convertit, quintam quasi essentiam omnis spei, solatii, & fiduciæ.

§. 16. Cum hoc officio connexum est *officium regium*, secundum quod Filius DEI suos tuetur adversus hostes, & gratiis beat in Ecclesia, & plenissime aliquando liberabit ab omni malo, bono vero quocunque in æternum beabit. Probatur ex Joh. III. 16. ubi credentes dicuntur non perituri esse, nempe in

ſuis peccatis, in morte, inferno. Sub tentationibus carnis, & mundi, & inſidiis ſathanæ; ſed habituri vitam æternam, quæ compendium eſt omnium bonorum. Et Joh. V. 24. ubi non venturi eſſe dicuntur in judicium, ſed ex morte, hoſtium ultimo 1. Cor. XV. 26. penetraturi in vitam æternam.

§. 17. *Prædicatum* propoſitionis negativæ §. 9. formatæ eſt: *non judicatur.* Joh. III. 18. Et: *in judicium non venit.* Verbum ſimplex eſt: κρίνειν, *judicare*; Et interdum ſumitur pro compoſito: καὶ κρίνειν *condemnare*, ut Rom. XIV. 3. *non edens edentem* μὴ κρινέτω *ne judicet*, i. e. ne contemnet. Joh. XII. 47. Chriſtus ait, *ſe non veniſſe* (ἵνα κρίνω) *ut judicaret*, i. e. condemnaret mundum: Hanc enim eſſe ſignificationem verbi, patet ex oppoſito: ἵνα σώσω, *ut ſalvarem*: Salvationi enim condemnatio opponitur. Atque hoc ſenſu vocabulum κρίνειν *judicare*, his quidem in locis ſumitur. Joh. III. 18. V. 24. Nam in priore loco judicatus eſſe dicitur ille, qui non credit: Qui autem non credit, condemnabitur. Marc. XVI. 16. Judicari igitur eſt condemnari. Qui credit, non perit, ſed habet vitam æternam: Joh. III. 16. quare, qui non credit, is perit, nec habet vitam æternam: i. e. judicatur, ſeu condemnatur. Deus miſit Filium ſuum, non ut mundum, in quem miſit, judicaret, ſed ut mundus per ipſum ſalvaretur. Johan. cap. III. 17. In quibus verbis judicare & ſalvare ſibi invicem opponuntur: judicare igitur eſt condemnare. In poſteriore dicto Joh. V. 24. eadem fundamenta ſunt. *Judicio* enim ſubordinatur *mors*, & opponitur *vita*. Adjudicatur igitur morti, qui in judicium venit; Et contra, qui in judicium non venit, morti non adjudicatur, ſed vitæ.

§. 18. Arripiunt explicationem hanc Pontificii, ut declinent vim argumenti, quod noſtrates ex his verbis faciunt adverſus purgatorium, & hoc eſt: *Qui credit in Chriſtum, non judicatur, nec venit in judicium. E. nec in purgatorium*: Regerunt enim illi: N. C. non venit in judicium. E. nec in purgatorium; *ratio*, quod judicium intelligatur condemnatorium, quale purgatorium non eſt, utpote in quo homo non condemnetur. Sed vanum eſt effugium. Etiamſi enim purgatorium, juxta Pontificios, non ſit condemnatio conſummata & perfecta, qualis eſt in inferno; Eſt tamen inchoata, & quodammodo imperfecta, quæ

quæ à consummata non differt specie, sed gradu solum. Quisquis condemnatur in carcerem ad dies decem, æque condemnatur, quod speciem actus attinet, ac ille, qui ad perpetuos carceres condemnatur. vid. Cham. Panstrat. t. 3. de purg. l. XXVI. c. 26. §. 15. seqq. Dictum Christi fideles absolvit ab omni judicio, E. etiam à judicio purgatorii, si quod tale esset.

§. 19. Complectitur autem judicium istud non actum solum condemnationis, sed etiam connexa. Patet ex Joh. III. 19. ubi hæc leguntur verba: *Hoc autem est judicium, quod lux venerit in mundum, & homines plus tenebras, quam lucem dilexerint, operibus ipsorum malis existentibus.* In quibus verbis *judicium* denotat *causam meritoriam* judicii seu condemnationis: dicitur enim esse contemptus lucis, qui est incredulitas & impietas: Propter incredulitatem mundus judicatur, seu condemnatur. Johan. XVI. 9. Causæ meritoriæ connexa est *formalis*, quæ pluribus actibus absolvitur, citatione, accusatione, examinatione, manifestatione, convictione, confusione, objurgatione, sententiæ latione, & executione. Confer Luc. cap. XVI 1. seqq. Matth. XVIII. 23. seqq. c. XXV. 24. seqq. 41. seq. Dn. D. Glass. Rhet. sacr. §. 19. p. m. 1057. sub finem: Neque habemus causam, cur Joh. X. 24. negemus in *judicio* omnes istos hactenus enumeratos actus intelligi: Qui non judicatur, neq; injudicium venit, is etiam non citatur, nec accusatur, nec examinatur, nec convincitur, nec confunditur, nec objurgatur, neque condemnatur, neque punitur. Observamus hoc adversus Vossium disp. Theol. XIV. thes. 4. pag. 203. qui distinguit inter κρίσιν sumptam generatim, & συνεκδοχικῶς; dicens: *nempe κρίσις nunc generatim notat judicii actum; nunc συνεκδοχικῶς accipitur pro sola condemnatione; ut hoc loco.* Nostra sententia generatim h. l. sumitur, & κατ' ἐξοχὴν quidem significat condemnationem, non tamen exclusivè; sed inclusivè, connotans reliquos actus, qui condemnationi connexi, & analogi sunt.

§. 20. Quæ ut ulterius illustrentur & confirmentur, adducenda sunt ea scripturæ dicta, quæ in eadem materia occupantur. Rom VIII. 1. negatur *ullum κατάκριμα esse in iis, qui sunt in Christo Iesu.* Si igitur nulla est fidelium condemnatio, quæ est materia, vel finis judicii condemnatorii, E. nec actus aliquis

antecedaneus, & formalis erit, cui fideles obnoxiis fuerint; *confirmatur* ex vers. 2. Ubi docetur, quod lex spiritus, i.e. Evangelium, quod obedientiam & justitiam Christi revelat, & offert, & confert, fidelem reddat liberum à jure peccati, & mortis. Ubicunque enim legis dominium, & peccatum non est, ibi nec est accusatio, examinatio, propalatio, convictio, confusio, objurgatio de admisso peccato: Ex vers. 33.34. ubi interrogat Apostolus: *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est, qui justificat. Quis ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est; &c.* Conjunguntur accusatio, & condemnatio, tanquam actus connexi, & negatur de electis, & fidelibus, quod ullum timere necesse habeant. Cum Deus hominem ad tribunal suum citat, ibique accusari finit, convinci, confundi, & confusum objurgat; tum meminit peccatorum ipsius; At peccatorum nostrorum, qui fideles sumus, DEUS non amplius vult recordari. Jes. XLIII. 25. Jer. XXXI. 34. Ezech. XVIII. 22. Cum Deus hominem, propter peccata sua in judicio sistit, tum peccata ipsius in conspectu habet. Psalm. XC. 9. At fidelium peccata post tergum suum projicit. Jes. XXXVIII. 17. E. propter ea hominem fidelem in judicium non vocat. Confer Dn. D. Gerh. Loc. de judic. extr. §. 63. seqq.

§. 21. Sequitur hinc, quod nec peccata electorum in extremo judicio sint publicanda. Nam Deus *peccatorum* nostrorū non amplius recordabitur. Jes. XLIII. 25. utpote quæ post tergum suum rejecit. c. XXXVIII. 17. Et delevit ut sol nubem. c. XLIV. 22. Probatur ex nostro propositio textu. Johan. V. 24. Credens dicitur *transiisse à morte in vitam*: Liberatus igitur est à morte; si à morte, E. etiam à peccato, cujus stipendium mors est. Rom. VI. ult. si à peccato. E. etiam ab actibus, qui circa peccatum versantur, judicialibus, ut sunt, quos diximus: accusatio, seu delatio, citatio, manifestatio, &c. Sublato enim subjecto, tollitur adjunctum, vel actio, circa subjectum, vel objectum occupari solita.

§. 22. Non insuper habendum est etiam *tempus* vocabuli κρίνεται: *judicatur, seu condemnatur.* Præsentis illud quidem temporis est, & ad literam significatur, quod in præsenti non judicetur credens; In hoc vero tempore non ita præcise inhæren-

hærendum est, ut non etiam ad *futurum* extendatur, hoc sensu: quicunque credit, ille non solum nunc non condemnatur, seu in judicium condemnatorium venit, sed nec in futurum, die nimirum extremo. *Ratio* sumitur à fide, ubicunque illa est, vel perseveranter fuit, ibi est effectus ejus, nempe liberatio à peccato, ira Dei, accusatione & maledictione legis, & condemnatione: Perseveranter autem fuit penes electos, utpote quos in errorem finaliter induci, impossibile est- Matth. XXIV. 24. Quare & fructus ejus consequetur eos, nempe, ut non pereant, sed habeant vitam æternam. Qui perseveraverit, credendo nimirum, usq; ad finem, salvus erit. Matth. X. 22. c. XXIV. 13. In his dictis salus adscribitur ei, qui ad finem usq; vitæ suæ, vel seculi, perseveraverit: salus autem non solum in spe, sed etiam in re; non solum nunc, sed etiam tunc; Nullum enim tempus excipitur. Quisquis habet vitam æternã, & à morte in vitam transiit, is habet istam, & transiit intuitu suæ fidei, qua in Jesum Christum credit, vel credebat. Johan. III. 18. V. 24. Jam vero, qui in die extremo non judicabuntur, habebunt vitam æternam, & transiverunt à morte in vitam; E habebunt hanc felicitatem ex sua fide. Atque ex hoc fundamento factum esse, credo, quod Hab. II. 4. Roman. I. 17. Gal. III. 11. Heb. X. 38. de justo & credente dicatur in futuro: יחיה, ζήσεται, *vivet*, scil. non solum de præsenti, in regno gratiæ, sed etiam de futuro, in regno gloriæ. Liceat etiam *præteritum* referre: hoc sensu: qui credit, ab æterno non est destinatus ad judicium condemnatorium. Sequitur ex opposito: qui non credit, jam judicatus est, nempe in decreto reprobationis, quod factum est ab æterno, quando incredulitas, & finalis quidem, prævidebatur. Atque hoc sensu accipio, quod ait Vossius l. c. p. 203. *Sermo est* (Christo) *de ordinatione decretoque divino, ac merito condemnationis.* Decretum enim factum est ab æterno. Eph. I. 4. Etsi Christus illud ipsum in tempore revelavit. vers. 9. seqq.

§. 23. Cogitari posset etiam de hoc, annon vocabulum κρίνεται de *habitu*, vel *statu* commode accipi posset, hoc sensu: Qui credit non judicatur. i. e. judicio condemnatorio non est obnoxius, non est in eo statu, in quo reus sit condemnationis: quo sensu Roman. cap. VIII. 1. Paulus ait, in justificatis οὐδὲν κατά-

κατάκριμα, *Nullam esse damnationem*, seu reatum, cujus gratia homo condemnationi esset obnoxius. Neque obstat, quod de actu verbum illud loquatur; Nam apud Hebræos verba actum significantia nonnunquam accipiuntur καὶ' ἐνέργειαν, vel καθ' ἕξιν, *seu non effective semper, sed quandoque habitualiter*, uti loquitur, & exemplis illustrat, Dn. D. Glas. gram. sacr. canon. XXI. de verb. §. 289. & canon. XXIV. §. 307. Ita h. l. non judicari est non judicabilem esse, non condemnabilem, sublato scil. reatu peccati, &, in die extremo, ipso peccato. Congruit explicatio hæc cum tempore, de quo §. præced. verba fecimus: Habitus enim est omnium temporum & momentorum. Bene D. Jacob. Andreæ (allegatus à D. Osiandro not. marg. ad Joh. III. 18.) scribit ad l. c. *DEVS igitur pro inexhausta sua bonitate, & clementia, ante seculi fundamenta in filio salvandos elegit, cum hominem peccaturum videret; ut jam certo, qui credit, dicere posit, se in libro viventium & electum esse.*

§. 24. Hactenus disputata est propositæ quæstionis negatio: sequitur II. *negationis ratio*: Quæ Joh. III. 18. totidem quidem verbis non exprimitur; attamen in opposito consequentium verborum satis manifestè indicatur: *Qui non credit* (ita habent consequentia verba) *jam judicatus est*: quare? *quia non credit in nomen unigeniti Filii DEI.* E. qui credit, non judicatur, quia credit in nomen unigeniti Filii DEI. Consequentia justa est, quia scriptura sacra nullam aliam rationem revelavit, & condemnationis quidem, quam infidelitatem; nec salvationis aliam, quam fidem: maxima Christi nota est: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur, qui vero non crediderit, condemnabitur. Marc. XV. 16. Quare cum adæquatè oppositorum sint opposita consequentia, rectè infertur: Qui non credit, condemnabitur ideo, quia non credit. E. qui credit salvabitur (instrumentaliter) ideo, quia credidit.

§. 25. Participia, sicut & adjectiva, apud Hebræos & Græcos sæpe sunt causalia, i. e. continent in se causam, vel rationem prædicati. Et talia participia putamus & statuimus esse πιστεύων *credens*; Joh. III. 18. & V. 24. Et ἀκούων: *audiens*: l. c. In negativa res clarissima est, ex voce ὅτι, quia, quoniam, quæ sua natura est vel causalis, vel ratiocinativa: Infidelitas igitur con-

condemnationis causſa, vel ratio, vel utrumque eſt: Dicimus nos, utrumque eſſe, & cauſſam, non ſolum meritoriam, quatenus peccatum eſt, ſed etiam formalem, in quantum formaliter & immediatè reſpuit cauſſas & media ſalutis; Et rationem, quia medium terminum præbet, ex quo prædicatum, & concluſio tanquam conſequens infertur. In affirmativa eadem locum habent: Affirmativa eſt: Qui crediderit in nomen unigeniti Filii Dei, non condemnabitur, nempe ideo, quia credit. Dicimus, fidem eſſe cauſſam & rationem iſtius abſolutionis, & ſalvationis; Cauſſam, non quidem meritoriam, ut eſt infidelitas condemnationis; Nam fides h. l. non conſideratur ut opus; attamen organicam ſeu inſtrumentalem, per quam homo apprehendit gratiam Dei & meritum Chriſti; Et rationem, ex qua abſolutio & ſalvatio validiſſimè inferri poſſit, tanquam conſequens & effectus ex ſuo antecedente & cauſſa.

§. 26. Probatur, & confirmatur hæc noſtra aſſertio 1. ex illis *ſcripturæ* locis, in quibus fidei in abſtracto adſcribuntur juſtificatio, & ſalvatio. Rom. III. 28. Apoſtolus credit, hominem πίστει δικαιοῦσθαι *fide juſtificari*. c. IV. 5. *non operanti, credenti autem in eum, qui juſtificat impium*, λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην, *imputatur fides ſua in juſtitiam*. Et quo loco (ut obiter illud obſervemus) patet, participia, interdum ſaltem, & quidem in hoc juſtificationis, & ſalvationis negocio, complecti in ſeſe cauſſam, vel rationem rei, imo utrumque; Dum enim credenti ſua fides imputatur ad juſtitiam, E. ideo juſtificatur credens, quia credens eſt. *Abraham credidit DEO, & ipſi imputatum eſt in juſtitiam*. verſ. 3. ſcil. ſuum credere, ſeu ſua fides. Eadem ratio eſt ſalutis: Nam & hæc fidei in abſtracto adſcribitur. Eph. II. 8. *Gratia ipſius* (Chriſti) *eſtis* Κεσωσμένοι διὰ τῆς πίστεως *ſalvati per fidem*. Matth. IX. 22. ἡ πίστις σε σέσωκέ σε, *fides tua ſalvam te fecit*. Salvam non ſolum corpore, ſed & animâ, deletis peccatis, mali iſtius cauſſis. *Juſtus* ἐκ πίστεως ζήσεται *ex fide vivet*: Hab. II. 4. Rom. I. 17. Partim in regno gratiæ, in quo peccata, & pœnæ peccatorum intuitu fidei remittuntur. Gal. II. 20. partim in regno gloriæ, in quo homo reportat finem fidei ſuæ, nempe animæ ſalutem. 1. Pet. I. 9.

§. 27. II. *Ex analogia fidei.* Fides unicum illud divinitus

tus ordinatum medium & organum est, per quod homo gratiam DEI, & meritum Salvatoris sui JESU Christi apprehendit, sibi applicat, & appropriat. Probatur ex Johan. cap. V. vers. 24. ubi Christus mentionem facit ejus, qui se miserit, i. e. Patris, sicut ille dilexit genus humanum, & illa sua dilectione impulsus misit suum ipsius Filium : ita enim respectum hunc explicavit ipse Christus. Joh. III. 16. Circa hunc patrem, quis actus versatur? Fidei actus; Nam dicit : πιστεύων *credens*, quod sit fide; Eadem fides est actus, qui etiam circa Dei Filium, Christum, occupatus est: Nam & de hoc dicitur: ὁ πιστεύων εἰς αὐτόν *credens in ipsum.* Joh. III. 18. Præter fidem nihil appellat Christus, quod operosum sit in actu judicii divini, & vitæ æternæ. Utrumque, & affectum Dei patris, & meritum filii, sicut objectum, fundamentum, virtus fidei sunt, complexus est Christus in aureolo Joh. III. 16. Sic DEUS dilexit mundum, ut unigenitum Filium suum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Fructus igitur istius amoris divini, & meriti Christi, (qui est, non perire, sed habere vitam æternam) derivatur in mundum per fidem, quæ gratiam istam Dei, & meritum filii apprehendit. Hinc sequitur: ubicunque deprehenditur liberatio â peccatis, morte, inferno, judicio Dei condemnatorio; & vice versa, justitiæ, & vitæ æternæ donatio, ibi præsto est, vel fuit, fides liberati & salvati, tanquam organum gratiæ divinæ impetrandæ, & conservandæ. Unico scripturæ dicto hoc probasse sufficiat; Est illud Rom. III. 22. 23. 24. 25. in hæc verba conceptum : *Justitia DEI per fidem IESV Christi* (venit) *in omnes, & super omnes credentes*: *Non enim est discrimen; Omnes enim peccaverunt, & destituuntur gloria DEI*: *justificati gratis ejus gratiâ, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu*: *quem proposuit DEVS propitiatorium, per fidem in sanguine ejus, ad demonstrationem justitiæ ejus, per remissionem ante commissorum peccatorum.* Sermo est de justitia Dei, nempe ea, quæ coram Deo valet, & consistit in remissione peccatorum ante factorum: Hanc habent homines non ex se (utpote peccatores, & per peccata destituti imagine Dei) sed ex Deo; non ex suis meritis; sed ex merito Christi, qui ipsos redemit; dum sanguinem suum pro peccatoribus fudit, & obtulit justitiæ divinæ placandæ: Hujus sanguinis

guinis & meriti vis, nempe Dei propitiatio & reconciliatio, quo medio derivatur in hominem? διὰ τῆς πίστεως *per fidem* : ubi E. Deus placatur, ibi præsto sit fides necesse est; Et ubi actus Dei, qua placati, deprehenduntur, ibi præsupponenda est fides in eo, cui propitius est: Adeoq; & in eo, qui in judicium non venit.

§. 28. Quæ hactenus disputata sunt prolixè, contrahamus in argumenta, ut concludamus id, quod in quæstione est, nempe hoc: *Electorum ergo peccata in die extremo non publicabuntur.* Esto autem hoc argumentum nostrum: Quicunque non judicabuntur in die extremo, illorum nec peccata in illo die publicabuntur: Electi non judicabuntur in die extremo: E. nec electorum peccata publicabuntur in die extremo. Conclusio est ὅπερ ἔδει δεῖξαι, id quod demonstrandum erat. *Major* per se clara est: Sublato enim fine rei, qui h. l. est judicatio, etiam actiones propter finem suscipiendæ tolluntur; Talis est publicatio peccatorum, utpote quæ eo fine fit, ut secundum ea judicium instituatur. Sin mavis judicium facere genus, vel totum, publicationem autem speciem, seu actum formalem, valebit consequentia: à sublatione generis, vel totius, ad sublationem speciei, seu actuum formalium, totum illud constituentium: nempe, à sublatione judicii totius, ad sublationem etiam publicationis peccatorum, tanquam actus alicujus formalis. *Minor* hoc prosyllogismo probatur: N. credens venit in judicium. Electi sunt credentes. E. Electi non veniunt in judicium, seu non judicabuntur. Major est Christi; Minor itidem, uti colligitur ex Matth. c. XXIV. 24. & Apostoli Ephes. I. 4. seqq. & Actor. XIII. 48.

§. 29. Ex his rationibus patet, quod meritum illi beneficio divino substernamus, nempe meritum unius Filii Dei; cujus gratia fit, ut electorum peccata in judicio divino non sint publicanda: Atque ita diversissima sententia nostra est à sententia eorum Pontificiorum, qui B. Mariam virginem, & voluntariò pauperes à judicio extremo eximunt. Hos enim & istam illi eximunt non ideo, quod Deus sua ipsis peccata imputare nolit, intuitu meriti Christi, quod vera illi fide olim apprehenderunt, & perseveranter retinuerunt; sed propter intrinsecam sui perfectionem, & inhærentem justitiam propriam, cujus

gratia fiat, ut in judicio non sint comparituri. Hanc nos Evangelici neq; sententiam probamus, neq; rationem allegamus, utpote statuentes, B. Mariam virginem suis quoque peccatis & originali & actualibus laborasse, & beatam evasisse ex gratia Dei, quæ intuitu Jesu Christi, vera ab ipsa fide apprehensi, sua ipsi peccata & supplicia merita non imputarit: Et tantum abest, ut statuamus, illos voluntario pauperes, quales vulgo sunt in Papatu, intuitu suæ illius paupertatis à judicio divino exemplum iri, ut contra credamus, illos ob opinionem meriti, & cultus de ea conceptam, in judicium condemnationis adductum iri. Non enim salus est, nisi in nomine JESU Christi. Actor. cap. IV. vers. 12.

§. 30. Sententia hæc nostra duo habet *extrema*, defectum, & excessum. In *defectu* peccant Pontificii, statuentes, quod in judicium non venturi sint 1. Maria virgo, utpote immunis ab omni peccato. 2. Voluntariò pauperes. 3. Infantes non baptizati. Alios autem fideles esse in judicium venturos. In *excessu* illi, qui statuunt, omnes electos & fideles esse judicandos, ita ut ipsorum peccata manifestanda, illique rationem propterea sint reddituri. Cum *defectu* nobis nunc quidem res non erit, utpote quod extra scopum nostrum sit: sed cum *excessu*, & quidem non adversus omnes, sed unicum Gerardum Johannem vossium, & ejus disputat. XIV. part. 1. thes. 4. de judicio extremo: Et quidem *ejus materia*, quam statuit fore *omnes omnium bonorum malorumque hominum actus, tum bonos, tum malos.*

§. 31 Hujus expendenda sunt I. sententia. II. argumenta. I. *Sententia*, quæ colligitur partim ex dictis, quæ allegat; partim ex testimoniis patrum, quæ pro sese adducit, partim ex antithesi, quam format. Inter alia dicta allegat etiam dictum, Matth. XII. 36. dicens: *Sane etiam justorum peccata revelanda ac discutienda esse, satis docet scriptura, cum dicit Matth. XII. 36. Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*: In dictis Patrum laudat etiam verba Augustini ex c. 4. medit. *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum,*

tionum, simulque locutionum. In antitheſi notat Lombardum lib.IV. diſt.XLIII. Cujus verba ita ſonant: *Si quæritur: utrum peccata, quæ fecerunt electi, prodeant tunc in notitiam omnium, ſicut mala damnandorum omnibus erunt nota, non legi hoc expreſſum in ſcriptura; Vnde non irritationabiliter putari poteſt, peccata hic per pœnitentiam tecta, & deleta, illic etiam tegi alia, alia vero cunctis propalari.* Huic ſententiæ, tanquam ſuæ contrariæ, contradicit Voſſius, & fundamenta ejus ſubruere allaborat.

§. 32. Ex allegatis dictis patet *Sententia* Voſſii, quod hæc ſit: *Electorum peccata, in regno gratiæ ipſis jam olim remiſſa, in judicio extremo ita publicabuntur, & manifeſtabuntur, ut rationem propterea illi ſint reddituri, eamque in conſpectu Angelorum & omnium hominum.* Atq; ita ſententia ejus etiam *bonorum hominum actus* non *boni* ſolum, ſed etiam *mali* erunt materia judicii, ſi non condemnationis, ſaltem diſcuſſionis, examinationis, redargutionis. Contraria eſt noſtra ſententia, nempe hæc: *Peccata fidelium & electorum, ipſis jam olim remiſſa, non adducentur in judicium extremum, eo fine, ut rationem eorum DEO reddant, manifeſtentur omnibus, & ipſi propterea confundantur.*

§. 33. *Argumenta* Voſſii pro iſta ſua ſententia alia ſunt deſumpta ex S. literis, alia ex dictis Patrum & nonnullorum ſcholaſticorum. I. *Ex S. literis* allegat (1.) Eccleſ. XII. verſ. ult. *Omne opus DEVS adducet in judicium*, quod erit *ſuper omni occulto, ſive bonum, ſive malum.* (2.) Matth. XII. 36. *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Cui addi poteſt, quod Ambroſium ait adducere. (3.) Matth.X.26. *Nihil eſt opertum, quod non revelabitur.* (4.) Rom. XIV.10. *Omnes ſtabimus ante Tribunal Chriſti.* & (5.) verſ. 12. *Itaque unusquisque noſtrum pro ſe rationem reddet DEO.* & (6.) 2. Cor.V.10. *Omnes nos comparere oportet coram tribunali Chriſti, ut unusquisque reportet, quæ in corpore fecerit, congruenter* ad id, quod fecerit, vel bonum, vel malum. (7.) 1. Cor. IV. 5. *ne ante tempus quicquam judicate, uſque dum venerit Dominus, qui & illuſtraturus eſt occulta tenebrarum, & manifeſta faciet conſilia cordium.* (8.) Apoc. XX.12. *Et vidi mortuos, magnos & puſil-*

los, ſtantes in conſpectu Dei, & libri aperti ſunt: Et alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: judicatique ſunt mortui, ex iis, quæ ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum. Hactenus dicta ſcripturæ à Voſſio objecta.

§. 34. R. Ad 1. ipſe Voſſius fatetur, *non deeſſe, qui loqui eum* (Eccleſiaſten) *malint de judicio in hac vita, quo per invidentiam aliter commiſſa, tandem à Deo deteguntur*: Atque ita argumentum abluderet à ſtatu controverſiæ, qui non eſt de judicio hujus, ſed alterius vitæ. Loquatur autem dictum de judicio extremo, nobis tamen non obeſt: Nec enim Eccleſiaſtes dicit: ſive bonum, ſive malum *electorum*; ſed ſive bonum, ſive malum; *bonum* nempe electorum; *malum* vero reproborum: *Et peccatores cognoſcent in conſpectu ſuo ſua delicta; & juſti manifeſto videbunt ſemina juſtitiæ ſuæ, ad qualem eos perduxerunt finem*: ait Origenes homil. IX. in diverſ. idque congruit proceſſui judicii extremi Matth. XXV 34. ſeqq. ordine deſcripto. Juxta eum in judicium quidem adducentur, & bona & mala; ſed bona ſolum electorum, mala ſolum reproborum. Sicut igitur reproborum fides temporaria, vel bona opera, aliquando & aliquandiu præſtita, non publicabuntur, aut in memoriam revocabuntur tum, ſed plane oblivioni tradentur, eo quod in illis non perſeverarint; ſic vice verſa electorum peccata quondam commiſſa non publicabuntur, aut in memoriam revocabuntur, ſed oblivioni tradentur, ideo, quod in illis non perſeverarint, ſed acta pœnitentia, & præſtita fide finali, veniam eorum à Deo impetrarint. Ezech. III. 20. 21. XVIII. 21. 22.

R. ad 2. §. 35. Ad (2.) dictum eſt legale, quod non ferit juſtos, utpote à lege accuſante, arguente, maledicente liberatos, Rom. VIII. 2 ſed injuſtos, 2. Tim. I. 9. quales ſunt quorum corda malo theſauro ſunt referta, Matth. XII. 35. Ut inde verba etiam otioſa egrediantur, quorum rationem propterea illi ipſi mali homines in extremo judicio reddituri ſunt.

R. ad 3. §. 36. Ad (3.) Nihil utique eſt, quod non revelabitur, ſed diſtributivè; Nil nimirum ſceleris & injuſtitiæ ab impiis adverſus pios & innocentes commiſſi; nihil etiã innocentiæ & juſtitiæ piorum, utut aliquandiu ſuppreſſum, erit, quod in apricum non proferendũ ſit. Continent igitur verba iſta Chriſti partim commina-

minationem adversus impios, quod ipsorum clandestina adversus pios consilia, machinationes, injuriæ, persecutiones, in lucem sint emersura, dignis afficienda pœnis: Vice versa consolationem pro piis, quod ipsorum innocentia, & justitia aliquando revelanda sit, & dignis præmiis afficienda 2. Thes. I. 6. & 7.

§. 37. Ad (4.) abludit à statu controversiæ: Nec enim quæstio est: An electi sint constituri ante tribunal Christi? Utrinque hoc in confessio est: sed: An coram tribunali Christi peccata ipsorum, olim remissa, sint publicanda, ita ut rationem propterea sint reddituri? Nec (5.) vers. 12. obstat; Electi enim rationem quidem sunt reddituri pro *sese*; sed non pro *suis peccatis*, olim perpetratis, vèrùm pro talento bene collocato. Id quod parabola Matth. XXV. 19. seqq. clare docet. Servus enim bonus & fidelis, qui quinque talenta acceperat, & bene collocarat, rationem redditurus est, de bene administratis & in lucro positis talentis; Contra piger & malignus servus, qui bene collocare noluit, redditurus est rationem de re malè administrata; Dubium nullum est, quin servus ille bonus in re administranda non semper & ex asse officium suum fecerit; omnes enim sumus ἄλογοι ὠφελεῖοι Luc. XVII. 10. nec est, qui non peccet aliquando. 1. Joh. I. 10. Neque tamen ille ea propter ad rationes vocabitur; vice versa, aliquid boni & malus servus in eo, saltem sibi, videbatur præstitisse, quod noluerit periculo commissum talentum exponere; & tamen hujus suæ justitiæ fructum plane nullum tulit. R. ad 4. R. ad 5.

§. 38. Et sic etiam R. ad (6.) Omnes quidem manifestabimur coram tribunali Christi, ut unusquisque accipiat, quæ in corpore fecit, sive bonum, sive malum; sed illi omnes distribuentur in duas classes, unam bonorum, qui bene egerunt olim; alteram malorum, qui male egerunt: qui bene egerunt, reportabunt præmia sua; qui male, supplicia. Matth. XXV. 46. *Dicas*: Unusquisque reportabit simul & bona & mala, bona pro bonis, mala pro malis. R. Electi igitur tum punientur? damnabuntur? in ignem æternum relegabuntur? Id quidem necesse erit, si secundum mala sua opera judicabuntur; utpote quod stipendium peccati mors sit: Roman. VI. ult. Hoc R. ad 6.

vero ipse Vossius noluerit, quando scribit: *Dolorem in iis* (electis) *non habiturum tunc locum, multumque eos gavisuros, quod ex peccatorum remissione tanta appareat divinæ clementiæ magnitudo.* Quare manet, distributive etiam hæc verba esse accipienda, ut, sicut sunt duæ classes hominum manifestandorum, & operum hinc bonorum, inde malorum, sic etiam futuræ sint duæ classes eorum, quæ pro operibus reddentur, altera præmiorum, pro piis; altera suppliciorum pro impiis, utraque distincte & inconfuse.

Bz. ad 7. §. 39. Bz. ad (7.) Abludit à statu controversiæ. Non enim quæstio est de bonis actionibus, an publicandæ sint in die extremo? Sed de malis; Dictum vero Apostolicum de bonis loquitur; Nam ait: ἔπαινος *laus unicuique continget ex Deo*; laudem autem accipimus non pro malis, sed pro bonis, nempe pro fide in ministerio præstita.

Bz. ad 8. §. 40. Bz. ad (8.) N. C. judicati sunt ex libris secundum opera. E. Electorum peccata revelabuntur; *Ratio*, quia sunt duo libri, alter vitæ, alter mortis; in libro vitæ scripta sunt nomina electorum, & tantum eorum, quæ bene gesserunt. i.e. fides, &, quæ fidei fructus sunt, bona opera: In libro autem mortis nomina reproborum, & incredulitas ipsorum, & hujus consequentia peccata alia: *Prius* probatur ex Roman. VIII. 1. ubi οὐδὲν κατάκριμα *nulla condemnatio*, vel reatus esse dicitur in iis, qui sunt in Christo JESU, is vero est liber vitæ, in quo electi, & scripti, sumus. Ephes. I. 4. *Posterius* forte nec ipse Vossius negaverit, nisi dicere velit, aliqua reproborum bona opera in libro mortis scripta esse, quorum fructum illi tum referant: id quod clarè reclamaret verbo DEI. Ezech. 3. quo omnes reproborum, vel impœnitentium justitiæ perpetua oblivione damnantur.

§. 41. II. Ex *Patribus* pro se allegat Vossius Ephræm. lib. de extremo judicio c. 1. & lib. de pœnit. c. 4. Ambrosium in Psalm. XLIII. tom. IV. p. 568. edit. Basil. 1555. Hieronymum in Daniel. c. VII. Augustinum c. 4. meditat. Olympiodorum in c. XII. Ecclesiastæ.

§. 42. Bz. I. *In genere* Patrum de hac materia sententias

tias ipse Vossius non omnes, nec omnino probat: Ut videre est ex examine instituto de sententiis Lactantii, Hieronymi, Augustini, Gregorii M. Isidori Hispalensis, quorum loca supr. §. 6. citavimus. II. *In specie*, quod *Ephremi* scripta concernit, notum est, quod Criticorum Ecclesiásticorum, etiam Pontificiorum, judicio, in dubium vocentur, utpote quod non respondeant elogiis veterum de præstantia scriptorum Ephremi genuinorum: de quo nos in Antiquit. Eccles. sec. IV. artic. 1. §. 104. agimus. Sint autem genuina illa Ephremi opera; non tamen nobis obsunt, quæ de judicio extremo c. 1. habet: dicit quidem: *Futurum est, ut unusquisque nostrum propria facta ac dicta ante incorrupti atq; tremendi judicii tribunal deferat*; & paulò post: *omnia ibi manifestanda erunt, quæ unusquisque in occulto & obscuro hic gesserit.* Sed distributivè hæc ipsum intelligere, verba sequentia clare docent, quando omne hominum genus distribuit in duas classes; piorum, & impiorum, quorum illi fructum relaturi sint pietatis, hi mercedem impietatis: *Iusti fructum bonum & delectabilem proferent*; *sancti similiter fructum præclarum ac vegetum*: *Martyres fructum glorioſum patientiæ ex tormentis & pœnis suis secum afferent*: *monachi sanctæ conversationis suæ, continentiæ, vigiliarum & orationum fructus proferent. Homines autem peccatores, impii, atque profani secum eo fructus deferent turpissimos, ac marcidos, plenos ignominia, luctu, & ululatu, cum vermibus non dormientibus, in igni inextinguibili.* In sermone I. de pœnitent. (Hunc enim videtur indigitare Vossius) p. 146. loquitur quidem de ratione peccatorum in die extremo reddenda, dicens: *Et nos dilectissimi rationem de his omnibus sumus reddituri, tanquam scientes bona, & facientes mala, hicque contemnentes, ibi cruciabimur; quoniam dilectioni DEI, & regno ejus prætulimus terram, & omnia quæ in ea sunt.* Sed in his verbis hominem considerat sub lege, & in statu peccati, secundum meritum peccatorum suorum; Nobis vero quæstio est, de homine considerato juxta Evangelium, sub statu gratiæ, sub quo homo non habet timere futuros *cruciatus.*

§. 43. *Ambrosii* verba nobis non obsunt, quia sententiæ

tiæ noſtræ non contradicunt : ſunt enim hæc : *Dominus in die judicii illuminaturus aſſeritur occulta tenebrarum : quia cor uniuscujusque manifeſtabitur, quod ante occultum erat, ſoli quidem Chriſto cognitum, qui ſciens judicii ſui gratiam, ait : Nihil eſt occultum, quod non manifeſtabitur.* Sic ille fol. m. 373. A. Non dicit : *occulta* piorum *peccata* manifeſtatum iri, de quibus tamen quæſtio eſt ; ſed potius occultas eorum virtutes ; Sicut ipſe ſe mox explicat, dicens : *Sunt autem multa, quæ propter verecundiam premimus, & ut impleamus cœleſte mandatum, tacito apud nos tenemus affectu, ne videamus in iis, quæ noſtra ſunt gloriari, & eorum fructum vulgando incipiamus amittere* : Et paulò poſt : *utrumq; de bonis eſſe credamus : quia ſcriptum eſt : cognoſcit Dominus, qui ſunt ipſius ; ſuos ergo cognoſcit, & eos cognoſcit, qui cognoſcunt DEVM* : Addit : *Ignorat autem eos, qui ignorant DEVM. Qui enim ignorat, ignorabitur.* Ita igitur cognoſcet Chriſtus ſuorum occulta, quomodo impiorum occulta non cognoſcet ; Non cognoſcet autem horum occulta, ut probet, & remuneretur : E. ſuorum occulta ita cognoſcet, ut ea probet, & remuneretur, notitia ſcil. practica ; Quæ vero ſunt iſta ? certè bene ipſorum facta, non mala : quare & bona ipſorum, non mala, facta manifeſtabuntur.

§. 44. *Hieronymus* perinde, ut Ambroſius, diſtinctè de revelatione factorum loquitur, quando ad Daniel. c. VII. ℣ 10. verba : *Judicium ſedit, & libri aperti ſunt* ; Hæc verba apponit. *Conſcientiæ & opera ſingulorum in utramque partem, vel bona vel mala, omnibus revelantur. Bonus liber ille eſt, quem ſæpe legimus, liber viventium. Malus liber, qui in accuſatoris tenetur manu : qui eſt inimicus & vindex : de quo & in Apocalypſi legimus : accuſator fratrum noſtrorum. Liber ille terrenus eſt, de quo & Propheta dicit : in terra ſcribantur.* Dicit : *Opera ſingulorum in utramque partem vel bona, vel mala omnibus revelatum iri* : Bona autem unde ? Ex libro vitæ, in quo nimirum nomina electorum ſcripta ſunt ; Mala unde ? Ex malo libro, qui eſt liber mortis, in quo ſcripta ſunt nomina reproborum. Sicut igitur in libro vitæ ſcripta ſunt nomina non malorum, ſed bonorum ; ita in eodem libro non mala piorum opera, ſed bona

ſcripta

scripta sunt, & inde manifestabuntur. Ex malo libro accusabuntur tum, sed qui? anne electi? absit: Quis enim accusabit electos DEI; sed reprobi, in æternum ignem relegandi. Diabolus accusat quidem electos & fideles, sed dum ad huc sunt in regno gratiæ, obnoxii suis infirmitatibus; At nuspiam scripturarum dicitur, quod coram tribunali Christi etiam in die extremo eosdem sit accusaturus.

§. 45. Augustinus *legaliter* seipse considerat, quid futurum esset, si DEUS juxta peccata sua secum agere vellet: ita enim sonant ipsius verba: *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum, simulque locutionum.* IV. medit. Fac, Augustinum supponere, sese esse electum, & sentire, quod in die extremo DEUS, insuper habita ipsius pœnitentia, omnia & facta, & cogitata, & dicta eo modo sit publicaturus, ut pateant omnibus & hominibus, & Angelis; Et ille propterea nunc in tempore adhuc constitutus, doleat, & conteratur, annon statueret Augustinus, cum ignominia & dolore ea publicatum iri? Quod tamen Vossius nonvult, dicens, *dolorem in iis non habiturum tunc locum.* Evangelicè igitur se Augustinus h. l. non considerat, sed legaliter. i. e. verba ipsius extra controversiæ statum sunt, qui non est: quod DEUS, si secundum legis rigorem nobiscum agere vellet, peccata publicare posset: sed quod, Evangelicè nobiscum agens, ea non sit revelaturus.

§. 46. *Olympiodori* verba hæc allegat Vossius: *DEVS adducet omne opus humanum in judicium, rationem à nobis exigens eorum, quæ gesserimus in vita, quæ etiam facere omiserimus, sive illa bona sint, sive etiam mala.* Sine dubio Olymp. loquitur de universo genere humano, quod tribunali Christi sistendum aliquando est, & in sese complectitur bonos, & malos: Ab his DEUS exiget rationem eorum, quæ in vita gesserunt, vel non gesserunt; sed quomodo? An à bonis, seu electis exiget rationem simul bonorum & malorum? Hoc Olympiodorus non dicit: subjectum de quo loquitur, est universum genus humanum: ab ejus aliqua parte, nempe piis, rationem Deus exiget

bene actorum; ab aliâ parte, nempe impiis, ratinem male actorum: Hoc vero est, quod ipsi metsentimus.

§. 47. *Scholasticorum & Pontificiorum* auctoritate, si qui secus statuerent, non movemur: Quippe qui suæ hypothesi favent. Statuunt illi quosdam fidelium, & plerosque quidem, ex hac vita cum peccatis, venialibus saltem, & reatu eorundem, discedere, cujus gratia particularia sua singuli subeant judicia, & persolvant pœnas in purgatorio: Cui errori affinis est illa sententia, quæ statuit, peccata electorum in die extremo publicatum & notatum iri; Nos vero, ut statuimus, per fidem fideles in hac vita obtinere remissionem & peccatorum, & pœnarum: ita etiam statuimus, eosdem in judicio extremo propter illa sua remissa peccata ad rationes non vocatum iri.

Faxit misericordissimus vivorum & mortuorum judex, JESUS Christus, ut inter eos simus, qui coram tribunali ipsius non audiant aliam, quam hanc vocem: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi*! Amen!

Præstantiss. Dn. Resp.
Amico perdilecto.

Quæ Deus electis quondam peccata remisit,
Nesciet ima dies commemorare, mala.
Sic valido percussa fugit nubecula sole,
Et perit, ut delet crimina nostra DEUS.
Hæc tamen ipsa dies suprema, videnda piorum,
Hactenus in tenebris abdita, facta dabit;
Ut, velut è chartis citreus micat humor, ab igne
Proditus, à facie sic ea facta DEI,
Factorumque fides, fideique ampliss ima nostræ
Præmia, quæ nunquam terminet ulla dies.

Benev. Excinuit
Exercitii Præses.

Ut

UT prius Eois radiis Aurora coruſcat,
Quam lumen, Phœbus vibrat in orbe, ſuum.
Virtutis ſunt prima Tuæ hæc dilucula! plenum
Mox videat lumen Patria, Templa, precor.

In honorem Pereximii Dn. Reſpondentis
Amici perquam dilecti, ſcrib.
Nicolaus Kobel, Neroling.

Ad Præcellentem atque Doctiſſimum Dnum. Reſpondentem.

JA/ ja/ mein Freund / niembhin: der Palm gebühret dir:
Ich fechte wieder Lufft / und zieh' auff Wind zu Felde.
Verſuche zwar Verſtand / und alle Kunſt allhier;
Doch ſchmäck't nach Einfalt mehr / als Klugheit / was ich melde.
Ich kenne deinen Fleiß / denck' an die Embſigkeit /
Davon viel Jahr' und Tag' und ſpate Nächte ſagen /
Die jetzt die That erweiſt; die auch ſchon mehr als heut
Mich machen wie erſtaun't: in Scham und Röthe jagen.
Ich dencke zwar auff Wort' / und rede / was ich kan;
So muß die Schrancke doch der Schrifft ſeyn unzerriſſen.
So leg't mich deine Kunſt in Band' und Feſſel an /
Und heiſt die ſchwache Macht der Zungen nichts mehr wiſſen.
Hilff GOTT! Kompt vors Gericht: du harter Donner du /
Solen nicht Hertzen / die wie Felſen ſind erſchüttern:
Wo das Geſetz' auch ſchläg't mit tauſend Blitzen zu /
Wem muß vor Angſt und Ach nicht Geiſt und Seel erzittern?
Darumb / mein Freund / gar gern: den Sieg behalte dir /
Und ſtehe dieſe Schrifft biß in den Todt zu retten.
Die Sünd iſt hingeleg't / vergeſſen für und für /
O Worte / die vor Todt und Teuffel uns vertretten!

Dieſes hat ſeinem wertheſten Freund
zu Ehren auffſetzen ſollen
deſſen Opponens

Georg Heinrich Bluhm. SS. Th. S.

Ad

Ad Pereximium atq; Doctissimum Dominum Respondentem.

DUm peccata tegis Sanctorum Fautor Amande,
Quas Tibi donârunt Numina prodis opes.
Talia dum tractas, Te fortem sistis Achillem,
Quem magni faciunt Curia, Templa, Scholæ.
Hinc quoque, ceu par est, cape Præmia digna labore,
Et Patriæ felix crescе, viresce Tuæ.
Immortale Decus tulit olim dictus Achilles;
Tu pariter vitam non moriturus age,
Quam DEUS Electis mirâ dulcedine plenam
Hîc ubi per Christum culpa remissa, dabit.

Gratulabundus scripsit
Joh. Antonius Strœlinus, Ratisp.

THeiologum satagis conscendere, Amice, Cathedram
Teque Virum præstas discutiendo bene.
De factûm ratione doces, quæ judice coram
Christo est danda bonis, est quoque danda malis.
Hôc, dignâ eximios studiorum laude coronas
Ausus, & mentis docta probanda tuæ.
Infractis Sanctus studiis benedixit Apollo,
Ut Tibi vel Patriæ commoda multa feras.
Ergo Tuis ausis meritò congratulor, atque
Ex animo precor, ut digna brabea feras.

Hisce paucis
Doctissimo Dno. Respondenti Amico honorando,
& Conterraneo suo perdilecto acquisitæ
multâ industriâ eruditonis specimen
gratulatur.
Georg. Heidenreich, SS. Th. St.